UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

CENSVRA.

POenitentia proprie non est noua uita, sed renouationis exordium, nouæ uitæ præludium, nouæ creaturæ principium &c̃.

CONDEM. CENSVRAE.

2. Cor. 5. Coloss. 3. Rom. 7. Chrisost. Tertul.

SEcunda Cor. 5. Si qua in Christo noua creatura. Col. 3. Induentes nouum hominem, eum qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum. Rom. 7. Et in nouitate spiritus ambulemus, & non in uetustate literæ. Christus & Apostoli pari gradu prædicant hanc pœnitentiam, & tota uita Christiani hominis pœnitentia est, & ueteris hominis restauratio. Sed Frater putat sua somnia folia esse Sibyllæ, cum Chrysost. uocarit pœnitentiã uoluntatis correctionem. Et Tertullianus, animi demutationem.

PROPOSITIO XV.

POenitentiam ueram non facit, nisi odium mali, & amor Dei.

CENSVRA.

Matth. 2.

POenitentiam ueram facit aliquando, odium & timor pœnæ, hinc filius Tonitrui tanto fragore, Pharisæis timorem incutiebat, Matthæ. 2.

CONDEM. CENSVRAE.

IAm audiuimus duplicem esse pœnitentiam, alteram legalem, qualis fuit Iudæ, qui uere pœnituit, non peccasse dolens contra Deum, sed seipsum damnari, talem pœnitentiam

tiam facit timor pœnæ, ex amore suiipsius oborta. Ita credo Monachos omnes pœnitere. Nam uera pœnitentia profecto amorem Dei, quem præ se diligit, non excludit. Sancti nõ dolent sese damnari, pro gloria Dei nihil non ferre parati. Nam Paulus etiam pro fratribus fit Anathema. Et Moyses expungi de libro petit. Sed dolent Deũ suis peccatis offendisse, cui interim se cõmittunt. Fideles enim in dilectione acquiescent ei, Sap. 3. Sed de hoc alias. Cæterum filius Tonitrui, non est Ioannes Baptista, sed Ioannes Euangelista, & Iacobus Maior, filij Zebedei. Ergo ueram pœnitentiam constituit odium mali seu peccati & reuerentia erga Deum coniuncta cum amore Dei. Ad hæc ista propositio non erat mea, sed mei superioris, cui hic Frater credere facile poterat. Sapien. 3.

PROPOSITIO XVI.

CRedere Deum, Deo, & in Deum tres gradus salutis.

CENSVRA.

CRedere Deum est fidem habere, Deum esse &c̃.

CONDEM. CENSVRAE.

QVia gry non ualent, quæ hic Frater deblaterat, sicut ubiq; paucis absoluam. Credere Deum, commune est pijs & impijs. Nam & dæmones credunt Deum, & coram maiestate Dei contremiscunt, ac norunt, quod sint a Deo conditi, sed hoc non satis est. Quia etiam Sathan, qui hoc credit, tamen manet inimicus & aduersarius Dei & damnatur. Sic Pharisæi sciebant Christum uirtute diuina operari